

**D I S S E R T A T I O**

**INAUGURALIS MEDICA**

**D E**

**A U T O C R A T I A**  
**N A T U R A E**

**IN CONSERVANDA et RESTITUENDA**  
**SANITATE**

**Q U A M**

**CONSENSU et AUCTORITATE**

**MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ac DI-**  
**RECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI**

**CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM**  
**PRO DOCTORATUS LAUREA**

**OMNIBUSQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET**  
**PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS**

**IN ALMA ac CELEBERRIMA R. S. UNIV. UNGA-**  
**RICA PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SISTIT**

**M I C H A E L K L E I N**

**HUNGARUS SCEPUSIENSIS.**

---

**In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis maiori**  
**die 14. Octobris 1831.**

---

**PESTINI 1831.**

**Typis JOSEPHI BEIMEL, TYPOGRAPHIAE STRIGONIENSIS,**  
**ET UNIV. E PESTANIS PROPRIETARII.**

**Observatio Naturae et Animadversio peperit Artem.**

**Cicero.**



ILLUSTRISSIMO

DOMINO

JOSFPHO E COMITIBUS ANDRÁSY

DE

CSÍK-SZ. KIRÁLY

ET

KRASZNAHORKA

S. C. ET R. APOST. MAIESTATIS

CAMERARIO

etc. etc.

VIRO  
DEVOTIONE IN DEUM  
PRINCIPEM ET PATRIAM  
ZELO COMMUNIS SALUTIS  
NULLI SECUNDO  
ALIIS NON SIBI NATO  
SCIENTIA AC VIRTUTE PARI  
MAECENATI SUO COLENDISSIMO  
TENUES HAS PAGINAS  
VELUT  
PRIMUM STUDIORUM SPECIMEN  
IN  
MONUMENTUM PERPETUAE GRATITUDINIS  
SINCERA CUM VENERATIONE  
DEVOVET

AUCTOR.

## PROLOGUS.

---

---

Cum e vastissimo scientiarum et Artis medicae agmine congruum dissertationi thema quaererem, illud animo propositum prae lucebat, ut missis vanis speculationibus, eo mentem detineam, quod ad recte medendum ducit. Omnes quidem sub titulo medico in lucem prodeuntes tractatus deprehendi pro scopo ultimo habere, recta hominis sub variis modificationibus cognitione stabilita, ejus sanitatem servare, deperditam restituere; ast quis horum nobilissimo illi scopo quam proxime accesserit diiudicaturus Naturam ipsam pro cynosura assumi, probe conscius iuxta Cel. Sydenham: „*Naturae iudicia, rerum veritati superstructa, nonnisi cum ipsa Natura interciderent*“, et quod iuxta Virey „*nec aliud Natura aliud Sapientia dicat.*“ Natura namque opus Artificis divini sapientissimi matrem omnis activitatis constituit, e cuius sinu omnis vita promanat, iterumque redit, ipsa proin semper viva et inalterabilis. Supremum in ea locum tenet homo, hunc noscere cuilibet, sed praecipue incumbit Medico, ut eius vitam tueatur, et vitae modum morbum normae restituat, quod tamen non praestabit, nisi noverit: quid

et quomodo ipsa Natura hominis sibi soli relicta agat in sanitatem conservandam et morbo medendum. Veritate hac intime percussus in Naturam Conservatricem ac Medicatricem hominis per decursum studii medico-practici attentionem meam direxi, ex ea discere cupiens, quando et qualiter Ars illi succurrere debeat, recte memor eius hippocraticae legis: „*imprimis Natura opus est, qua repugnante irrita sunt omnia, eadem vero ad optimum quodque viam commonstrante, artis doctrina paratur.*“ Nec prognosi rectae in ullo morbo formandae Medicus par erit, nisi eruat, quantum valeat Natura ad statum normalem propria vi reducendum, ex ea tandem rite intellecta optime satisfiet desiderio illi practico: ut non solum selectioribus, sed et imprimis paucioribus medicamentis tam salutem aegrorum Medicus tueri, quam veram dignitatem artis promovere, resque suas felicissime exequi possit.

Hoc itaque argumentum, sublimiori calamo dignum, pro mea inaugurali dissertatione selegi, non mihi blandiens illud hisce absolvisse, sed contentus me pro Marte possibili sitim in veritatem sedasse, et scribendo non frustra trivisse tempus; si quos commilitonum ad veram iatreusim hippocraticam propius scrutandam hisce movero, plus exspectatione me attigisse gratulabor. In hunc scopum praeter illa, quae in diversis Pathologiae ac Therapiae generalis et specialis scriptoribus sparsa occurrunt, Auctores deservient sequentes:

Hippocratis Coi Epid. Lib. VI. Sect. V.

Le Gay ergo Natura morborum

Medictra. Paris. . . . . 1546. 4.

Collier ergo morbos Natura curat. 1550. —

- Stupanus** De hominis Nat. sec.  
 Hipp. Basileae . . . . . 1597. 4.
- Cornuti** ergo Naturae morborum  
 medicatr. Paris . . . . . 1667. —
- Wedel G. W.** Progr. de Nat. morb.  
 Medica. Jenae . . . . . 1689. —
- — De vi Nat. hum. Medica Diss. 1715. —
- Stahl G. Ern.** Diss. de synergia Nat.  
 in medendo; de Autocratia  
 Nat.; de erroribus Nat. Me-  
 dicis; de Ministerio Artis Na-  
 turae salutariter adhibendo.  
 Halae . . . . . 1695—1711. —
- Fr. Hoffmann,** De Nat. morbo-  
 rum medic. spontanea. Halae 1699. —
- De Naturae et Artis effectu in  
 medendo. Halae . . . . . 1708. —
- Slevogt I. A.** Progr. de Nat. morb.  
 effectrice. Jenae . . . . . 1700. —
- Diss. de Nat. sanitatis conser-  
 vatrice. Jenae . . . . . 1715. —
- Berger** Diss. de Nat. morb. medica.  
 Wittembergae . . . . . 1702. —
- — de Medico Naturae adiutore. — 1702. —
- Bohn Joh.** Diss. de Arte Naturae  
 aemula. Lips. . . . . 1704. —
- Alberti** Diss. de Natura morbo-  
 rum medicatr. — de Nat. vi-  
 tae et sanitatis formatr. — de  
 Medico in nobis etc. Halae  
 1729 — 1735. —
- Homelius** de provida Natura de-  
 fectus hominum compensan-  
 te. Lips . . . . . 1710. —
- Meibom H.** Diss. de Nat. in cons.  
 ae restit. sanit. viribus. Helm-  
 stadii . . . . . 1714. —

- Seelmatter Diss. de Nat. Hippo-  
cratis Argentorati . . . . . 1721. 4.
- Ettmueller M. E. Natura Me-  
dica. Lips. . . . . 1721. —
- Ludolph Diss. de erroribus male  
imputatis Naturae. Erdorf. 1724. —
- Detharding Georg. Progr. de  
Nat. solic. in morb. Rostoch. 1725. —
- Heister Laur. De Medico Naturae  
medico. Helmst. . . . . 1730. —
- Richter C. G. De Nat. se ipsam  
nunc vindicante nunc destru-  
ente. Göttingae . . . . . 1737. —
- De Voce Naturae . . . . . 1751. —
- Lischwiz Oratio de Nat. sollicitu-  
dine. Kiloniae . . . . . 1743. —
- Vater Abr. De Curat. per expectat.  
Wittemb. . . . . 1746. —
- Junker Joh. Diss. de Natura robu-  
sta optima sanitatis longae con-  
servatrice. Halae . . . . . 1746. —
- De Man Diss. de Nat. hom. quat.  
sanitatis praesentis est custos,  
absentis vindex. Lugd. Bat. 1754. —
- Stock De vera notione motuum Nat.  
in corp. hum. Jenae . . . . . 1757. —
- Linné C. Diss. de Policia Naturae.  
Upsalae . . . . . 1760. —
- Pappius Diss. An et in quibus  
Natura sit Medicatrix, Medicus  
vero Naturae Minister. Würz. 1764. —
- Boehmer P. A. Diss. de salut. vis  
vitae in nobis actione. Halae 1764. —
- Triller D. G. De mira Nat. so-  
lert. in reparandis damnis cor-  
pori animali illatis. Wittemb. 1766. —



- Le Clerc** Histoire naturelle de l'homme dans l'état de maladie. Paris . . . . . 1767. 8.
- Sigwart G. F.** Diss. de Nat. morb. medicatr. Tübingae 1779. —
- Benes** Diss. de Nat. hum. sibi ipsi salutifera. Gröning. . . . . 1782. 4.
- Nauheimer** Diss. de Nat. hum. præsidii etc. Mogunt. . . . . 1783. —
- Fincke L. Lud.** Natura morborum medicatr. Rintelii. . . . . 1785. —
- Stracke** Diss. de vi Nat. medicatrice. Jenæ. . . . . 1794. —
- Young** Diss. de corp. hum. viribus conservatr. Gött. . . . . 1796. —
- Herz** De varia Nat. energ. in morb. acut. et chr. Halae. . . . . 1774. —
- Gall I.** Über Natur und Kunst in der Arzneywiss. Wien . . . . . 1791. —
- Gilibert** Sammlung v. Beob. über Krankheiten, die die Natur geheilt. Leipz. 1791. 8.
- Hebenstreit** Über die Gränzen der Heilk. d. Nat. Leipz. . . . . 1792. —
- Heilmann** Diss. de Natura medicatr. etc. Würzeb. . . . . 1798. 4.
- Barfoth** Diss. de vi Nat. med. a vit. non distingv. Lond. . . . . 1800. —
- Van Maanen** Diss. de Nat. hum. sui ipsius conserv. Harder. 1801. —
- Cappel W.** De viribus Nat. quae dic. medicatrices. Gött. . . . . 1807. —
- Blomhoff** Obs. quaedam de vi Nat. medicatrices. Gröning. 1807. —
- Hecker** Archiv für allg. Therapie. I. B. I. u. II. Hf.

H u f e l a n d Journ. der pract. Heiff. 1823  
VII. b. Günther.

Virey in Dictionnaire des sciences  
medicales: Force medicatrice. T.  
XVI. et Nature T. om XXXV. et  
Autocratie de Pinel. T. II.

G r e i n e r G. Fr. Chr. Der Arzt im  
Menschen, oder die Heilkraft der Na-  
tur. II. B. Altenb. 1827—29. 8.



## Int r o d u c t i o.

---

§. 1. Autocratia venit ab *αυτος*, ipse solus, se ipsum, et *κρατος*, vis, potentia etymologice significat potentiam independentem — quae omnem suam vim a se ipsa ducit.

Natura a nasci, natus, sicut *φύσις* a *φύω*, denotat quidquid nasci, oriri in spatio ac tempore contigit, et hoc sensu ipse quoque homo ad naturam refertur cum universis, quae praeter Deum existunt. Ut tamen, quid per *naturam hominis* proprie intelligatur, pateat, et alia vocis significatio evolvenda. Alias nomine Naturae comprehenditur systema universale virium, quae in Mundo agunt vel agere nituntur secundum leges a Creatore sapientissimo praefixas; et hoc sensu per Naturam hominis nil aliud intelligitur: quam complexus virium ac facultatum vitam hominis gubernantium, aut aliter: complexus proprietatum ei inhaerentium, brevi essentia eius. Non est huius loci inquirere: in quantum Hippocrates per suum *calidum omniscium, impetum faciens*; το *ενοουον*, Aristoteles per suum *principium motus et quietis*, Plato per *Artem divinam in materia*, Galenus per *calorem innatum, animam nobis insertam*, Celsus per *mirabile artificium corporis nostri, cuius Auctor summus est Deus*, Van Helmontius per suum *Archaeum*, Stahl per *animam cogitantem*, Sydenham et Baglivius per *complexum causarum naturalium seu animam mundi* verae notioni naturae hominis accedant.

Autocratia naturae hominis sensu stricto est virium ac facultatum homini insitarum actio et nisus spontaneae a se ipso elicitus. Nollem quis hic per spontaneam vel actionem a se ipso intelligat, hominem posse a reliqua natura separatum, quasi excisum existere et agere, nam omnia in natura et per naturam vivunt, communi vinculo, in organismis, donec sana sunt, imperceptibili, amoeno; sed et vita propria singulis competit, quae donec propriis viribus absque positivo artis interventu regitur, iure spontaneae a se ipso esse et agere dici potest. Nec intelligo per Autocratiam. Naturae ens quoddam distinctum sive materiale sive immateriale vitam hominis gubernans, sed summam virium et facultatum in homine existentium. Nec vitam pro mero virium in materia concurrentium resultado habeo, id tenens cum Cel. Wilbrand: *nullam materiam absque vita, sed in natura nec ullam vitam absque materia dari.*

§. 2. Actionem hanc spontaneam virium hominis quoad illam constantem tendentiam mihi considerare placuit, quatenus in servandam propriae individualis existentiae terrenae integritatem nititur. Cum vero duplex sit vitae huius respectu medio modus, status nempe vitae normalis seu sanitas, et status vitae abnormis seu morbus, hinc duplex Autocratiae Naturae suboritur directio, nempe ad sanitatem praesentem conservandam, et ad amissam restituendam, prior *vis Naturae conservatrix*, haec *vis Naturae medicatrix* dicitur, quae proinde una eademque est vis, principio vitae, hucusque inextricato superstructa, tantum abstractione mentis distincta.

§. 3. Antequam de singulis his partibus pro tenuitate virium, et opusculi angustia agam, memini a quibusdam comprobationem existentiae Autocratiae Naturae a me desiderari, sunt enim, qui eam in dubium vocare vel plane abnegare ausi sunt, quod omnino mirum videretur, nisi constaret *oculum hypotesi obscuratum nec diei lucem percipere.* His non argumentorum, a priori evibratorum, pondere responsurus, sed ipsos partim per singulas partes tractatus mei in operationes Naturae autocraticas reales traducam, ut veritatem quasi palpare valeant,

partim et ante omnia historicum dabo sententiarum  
 omnis aevi sapientum, imprimis medicorum conspe-  
 ctum, censeoque harum comparatione, quid veri huic  
 insit ideae, optime demonstratum iri; non enim  
 mihi animus est, solam Autocratiae Naturae scribere  
 apologiam, aut vigentes olim ac recenter in Medi-  
 cina theorias, non semper cum Autocratia Naturae  
 intime nexus refellere, his cum Cicerone reponenti:  
*opinionum commenta delet dies, naturae iudicia con-  
 firmat*, sed praecipue modum ac limites Autocratiae  
 Naturae perquiram, sicque et illis satisfactorus, qui  
 omnes morbos huic soli committendos censent.

## C o n s p e c t u s

### Autocratiae Naturae historicus.

§. 4. Omnium initia caligine antiquitatis velata  
 sunt. Etsi quis Medicinam humano generi coevam  
 ex eo addubitet incidenti, quod humana natura ad  
 nutum divini Plasmatoris recens orta, ac incorru-  
 pta, tanto adhuc vigore in conservandam harmo-  
 niam omnium systematum et organorum corporis sui  
 instructa fuerit, ut reliquae naturae aequae iuvenis,  
 et sanioris cunctos noxios impetus elidere valuerit,  
 de quo merito inficias ire licet; nihilominus co-  
 aevitatem Autocratiae Naturae nemo sanae mentis  
 negare poterit. Ut primum enim e sinu terrae ani-  
 matus est homo, mox vita eius Autocratiae Naturae  
 suae credita fuit, quam sanam conservare, per va-  
 rias vitae periodos incolumem traducere, primi  
 eius officii fuit; dum, quod incassum negatur, per  
 noxios adfectuum et passionum, aeris, temperaturae,  
 cibi, potusque et aliorum necessariorum vitae incita-  
 mentorum influxus, atque post potentiarum mecha-  
 nicarum actionem violentam morbi interni, vulnera  
 item ac fracturae enatae sunt, quis haec normae, re-  
 duxit? An medicina, quae vel nulla existit vel  
 mala? An casus fortuitus, qui vana est nomenclatio?

dicendum itaque est: Autocratiam Naturae hominis tunc secundo suo munere, nempe medicatrici functam, sanitatem restituisse. Agnoverunt hanc veritatem antiquissimi artis medicae in Aegypto, in Palaestina inque Graecia ministri Sacerdotes et Prophetae, quorum prudentiores certe perspexerunt, sanationem aegrorum suorum non caerimoniis mysticis, non dicteriis, e pelle arietina captis, nonque offertoriis tribuendam esse, quam potius a propria vi organismi sese vindicantis provenire, quam vim excitare et exacuere conati sunt per revocationem aegrorum a curis suis ad loca templorum amoenissima, in silvis prope scaturigines sita, per sustentationem nimiae confidentiae per orationem, ieiunia, amuleta et his similia.

§. 5. Philosophi antiquissimi, qui et Medicinam coluerunt, ut Pythagoras, Anaxagoras, Democritus et plures alii sapientissime de Autocratia Naturae disseruere, saepius enim adfirmant: quod tota natura adspiret ad sui conservationem, ad sananda mala, vel ad se completandam, si imperfecta est, — quod illa vigilet in conservationem omnium, illa non faciat saltum, sed potius religet sua opera per unam catenam, quod illa tendat in omnia illa, quae possunt perficere eius actus, et fugit illa, quae illi damnum aut destructionem causant, — illa appetat id, quod eam conservat, et abhorreat id, quod eam occidit etc. etc.

§. 6. Hippocrates, verus hic medicinae rationalis fundator, non tantum in theoria Autocratiam Naturae ad culmen, quod et nunc miramur, evexit, sed et in praxi sua felicissima observationibus castissimis comprobavit. Utrumque scripta eius vel fugitive volventi palam fiet. Et quidem exordio Lib. Epid. VI. S. V. ait: *morbis naturae medentur*, in Lib. de Insom. dicit. *quod psyche gubernet suam propriam domum*, in Lib. de Arte: Autocratiam Naturae vocat *medicinam*, seu illud negotium, *quo Natura ipsa sine medico aegrotantes in integrum restituit, adeoque morbos depellendo sanitatem reparat, atque vindicet*. Item alibi: *quod natura sit animalium servatrix, morbos finiat, noxia indicet ac eii-*

ciat, *convenientia servet, aliena separet* etc. Verbo si omnia, quaecumque a priori supposuit, a posteriori enarravit, solertius perdendamus (ne locorum innumerorum transcriptione tempus et chartam prodigamus) nil constantius, simulque consideratu dignius ibi reperiemus, quam a priori: quod natura a nullo edocta citraque disciplinam ea, quae conveniunt, efficiat, et quod naturae sibi vias inveniatur; a posteriori vero nihil omnium solennius, quam gravissimis adfectuum generibus adsignatum pugnam atque concertationem naturae cum morbo. Cerne Libr. de morbis popularibus, videbis Hippocratem laboriosissimas saepe adfectiones spontaneae vitali energiae reliquisse, sespectatorem egisse, vel lene decoctum hordei cum Oxym. simpl. porrexisset, non tamen semper otiosam commendavit curam expectativam, quin diserte praecipit naturas ducendas esse, quo vergant, sique oppressae sunt, eas debere sublevari, effrenes coerceri, aliasque regulas tradidit ex observatione methodi illius, qua utitur, natura in morbo amoliendo, natas. Vid. eius Coacas Praenot. Aphorismos. Lib. I. Epidemiorum etc.

§. 7. Plato etsi suis phantasiis non parum ab hippocratico tramite recesserit, tamen de Natura in nobis professus est: eam esse artem divinam in materia, quae operatur omnia in nobis, hanc pro igne seu calore habuit tamquam Causa vitae, et fontem omnium, quae existunt, derivans vocem naturae a *nat*, quod in lingua chaldaica *ignem* denotat, qui ab orientis populis instar Divinitatis cultus.

Aristoteles ipse fatetur: quod natura semper optima faciat in omnibus illis, quae esse possunt. Lib. II. De generat. C. 10.

§. 8. In schola Asclepiadis Bythini doctrina de Autocratia Naturae aliquam conversionem, non tamen inversionem passa fuit; asseclae enim huius scholae potissimum systemati atomistico additi, intactam reliquerunt naturae hominis in vitam conservandam et valetudinem resarciendam potestatem, sed effectus illos non ab inhabitante quodam agente, dirigente, successuum et eventuum gnaro, sed ex principio mechanico, nempe e mechanica corporis

organici forma et structura mechanica necessitate sequi credebant, minus tamen illi tribuere roboris, hinc congeries immensa pharmacorum, minimas quasvis organismi adfectiones — saepe ridiculas, oppugnans, e schola hac manavit, prout e scriptis Dioscoridis Anazarbei, eiusque Commentatoris Mathioli Senensis videre est.

Ex Eclecticis eius temporis optime de recto operationum naturae spontanearum aestimio meruit Aretaeus Cappadox, qui eas usque ad ipsorum chronicorum morborum curationem prosecutus est, prout legitur in Libr. I. De cura morborum diuturnorum Cap. 4.

§. 9. Cl. Galenus ut alter Hippocrates dignitatem medicatricis quoque naturae restauravit; segregando enim a multis hypotheticis, aut iuxta genium eius temporis erroneis eius doctrinis, illud in finem nostrum ex eo excerpere licet, quod is in L. IX. de Placitis Hippocratis et Platonis, L. V. De Facult. Natur. De usu partium etc. docuit: *naturam esse fontem sanitatis hominis, retinet enim hoc, quod ei est utile, et expellit superfluum, seu obiecta ei peregrina per suas proprias vires.* Lib. II. de Differ. Febr. C. V. Hic aequè demonstrat, quod natura prudenter agat, quin edocta sit — quod Chirurgus debeat os fractum unire, sed natura sit sola, quae callo consolidat. Et alibi: *totum secretum artis medicae non in arte consistit, sed in natura: actus eius noscere, eius finem, eique cum prudentia obtemperare.* Et in opere de Arte medicinali Cap. 77. docet: quomodo medicus Naturae auxiliari debeat. Vide Commentatores eius praecipue Valeriolam (Lib. II. C. 5. et Lib. II. Obs. 6. etc.).

§. 10. Sic stabilita et ad summum, ad quod tunc potuit, perfectionis fastigium pervenit doctrina de Autocratia Naturae apud antiquos, qui per eam intellexerunt eam aliquod singulare in nobis vigilans pro Conservatione existentiae nostrae, nos dirigens per ad petitus, instinctus, et motus autocraticos seu spontaneos absque concursu nostrae voluntatis et intelligentiae, operans certam coctionem in nostris infirmitatibus, expellens per crises salutare materias,



oeconomiae animalis nocivas, et quidem tempore determinato, aut per lyses.

§. 11. Aevum medium coeca fide doctrinae huic adhaesit, eo ipso tamen verum Auctocratiae Naturae aestimum pene exstinctum est; nam nimia in Auctorem fides eos ab inquisitione operationum naturae singularium retraxit, sine qua cura morborum rationalis impossibilis est, hinc enata tot de morborum indole figmenta, hinc farraginis pharmacorum praedilectio, et formularum cum teroentis miscelis expeditio. Sed quaeso an non et tunc morbi sanati, et an id pharmacis, quae cruda selegit empiria, attribues? Minime, inerat et tunc hominibus vis haec vigilans, quae dirigit nostras functiones vitales independenter a nostro libero arbitrio, imo saepe contra nostram voluntatem, nobisque saepissime indicat per salutare impulsiones id, quod sanitati est favorabile, id, quo morbus depellatur, et vitalis haec reactio saepe ipsi quoque incongruo pharmaco subigenda est. Interim neglectus hic prudentis imitationis naturae in medendo non parum contribuisse videtur ad morborum contagiosorum foedissimorum in Europa celerem disseminationem et malignitatem, uti Variolarum, Leprae, Syphilidis, Pestis orientalis etc. qui initio ingentes edidere in populo strages, donec methodo hippocratica sensim relucescente partim exstincti, partim domiti essent.

§. 12. Theophrastus Paracelsus illis temporibus primus fuit, qui e iugo servilis in sententiam alterius submissionis caput elevare, et novi quid pro Arte medica proferre ausus est, quae in plurimis paradoxa quidem sunt, ast profundum de universa natura qua microcosmo et homine qua microcosmo iudicium sapiunt. Nam dum in operibus eius legitur de Archaeo qua principio vitae daemoniaco, seu physico, quod Archaeus omnes functiones physicas gubernet, regat, quod morbi sanentur, dum ipse Archaeus, qui perturbationem illam concitavit, perturbationem illam in organismo superat, et quod illa Medicina sit Universalis futura, cuius ope Archaeus dirigatur etc. An non haec serio perpensa tantum significant: quod vires organismi humani (non enim agitur de nomine) autocraticam in huius functionum harmoniam conser-

vandam exerant potestatem; — morbus oriatur, dum harmonia haec turbatur, qui ergo in virium harmoniam restituendi conatu fundatur, sufferturque, dum illae ipsae vires vitales in reactionem hanc concitatae a se ipso aequilibrium restituunt, tandem quod illa sit optima medicina futura, quae vim vitalem dirigere noverit, adeoque e recta ipsarum Autocratiae Naturae operationum imitatione eruta fuerit, — quae omnia quam prope ad genuinum de Autocratia Naturae conceptum accedant, quisque perspicit. Haec et methodus illius curandi simplex comprobare videtur.

Van Helmont Paracelsi vestigia seentus doctrinam eius excoluit, a paradoxis quibusdam repurgavit, ast in alia immersus, per suum Archaeum fermentalem qua primum agentem dynamicum, sui conscius etc. pluribus in medicina erroribus semina iecit.

§. 13. Cel. Th. Sydenham Anglorum Hippocrati gloria competit ea, quod is reiectis omnibus scholarum tunc regnantium hypothesebus, ad castam Naturae hominis sanae et infirmae observationem rediens, conatus Naturae autocratiae e vero puncto spectaverit, et meliori sorti totius Medicinae praeluxerit. Sic enim incipit in morborum acut. hist. et curat.: *dictat ratio — morbum quantumlibet eius causae humano corpori adversentur, nihil esse aliud, quam naturae conamen materiae morbificae exterminationem in aegri salutem omni ope molientis.* In tractatu de Hydrope dicit: in permultis adfectibus morbi fomite iam penitus exantlato Natura, quae noctes atque dies nostris rebus invigilat, consulitque, sponte sua mirum in modum machinatur, quo aegrum a pernicioso morbi reliquiis munit ac tueatur. Alibi explicat naturam artis adminiculo non ubique indigere, sed in morbis sanandis aliquando paucissimis, aliquando nullis pharmacis indigere etc. Hunc secuti plurimi celeberrimi medici practici, licet variis viis in veritatem simplicem eluctari conati.

§. 14. G. Ern. Stahl supremo illocavit Autocratiam Naturae throno, primus hoc nomine usus. Hic prout toti theoriae ita et Autocratiae Naturae animam cogitantem praefecit, docuitque morbum consistere

in motu abnormi per animam producto ad removendum noxium, Autocratiam Naturae cessare facere tempore determinato plurimos morbos, provocando se ac excretiones spontaneas, et certam speciem nutritionis. Tametsi in assignando horum motuum principio, et modo illum errasse concedam, nil tamen per id merito eius decedit: eum primum recte proposuisse salubritatem motuum quorundam in morbis, eum illis, qui omne symptoma morbosum extraordinarium pharmacis debellare student, in memoriam revocasse, auxilia potentia Naturae saepe in his residere, quin tamen dissimularet errores ac deviationes conatum horum Medicatricum Naturae, hosque dirigendos docuit cum claritate ac prudentia.

Nec Van Hofen sententia a praedicta multum differt, credit tamen is, animam in hoc negotio conservatrici non iuxta conscientiam et rite agnitos fines, sed solo instinctuali nisu agere.

§. 15. His opponit Cel. Reil: „quomodo posset anima, e cuius parte nullam aliam sanationis methodum, quam per repraesentationes noscimus, absque conscientia fini conformiter mederi, cum id ipse Medicus cum summa reflexione et post studium plurimum annorum tamen nisi imperfecte possit? Quare anima Medici non sanat melius corpus proprium, quam anima rustici suum sanat, cum tamen anima prioris praeter naturalem in hoc negotium dispositionem, etiam studium huius artis coniungat? Quare anima hominum crudorum et stupidorum saepe melius curat corpus suum, quam anima sapientum? Quis sanat Zoophyta et plantas, quae nullam animam, et tamen vim medicatricem in summo gradu tenent?“ etc. In Cura Febr. P. I. Evolvitque Cel. Auctor propriam de Autocratia Naturae opinionem, nostrae in plurimis conformem, dicitque: plurimos morbos Autocratia Naturae sanat, medicus debet eam dirigere, refrenare, ei calcar addere, et impedimenta illius remove, quae ei in hoc negotio obsunt.

§. 16. Acres Autocratia Naturae stahlina hostes nacta est in medicis systema atomisticum restaurantibus, e principiis mechanicis egressis, uti Rob. Boyle, Fr. Hoffmann, Battie, Bentekoë, Ta-

girió, de Bikker etc. qui negarunt existentiam naturae cuiusdam particularis intelligentis ac providae in homine, motusque salutaree oeconomiae nostrae praeunte Cel. Fr. Hoffmann soli mirabili lusui automatico seu mechanico structurae et organisationis corporis nostri tribuere. Morbos ipsos machinae huius humanae comparant cum lancibus bilancis, vel cum oscillationibus acus magneticae, quae semper tendunt venire ad aequilibrium, sicque reddunt rationem conatum conservatricum, in crisis morborum observatorum. Parum interesset quoad artem medicam, undecunque motus hi salutaree repetantur, dummodo congruus eorum in curandis morbis haberetur respectus; sed merito huic scholae obiici potest, illos nimis laudato effectui contrariorum ponderum non tantum, quam pharmacis tribuisse, illasque turbas vel nimis debiles vel nimis fortes existimando, his abusos fuisse.

§. 17. Schola Incitabilistarum auctore Ioan. Brown, simplicitatem praediligens, etiam Autocratiam Naturae e Medicina exulare fecit, docens: donec incitamenta incitabilitati proportionata incitationem normalem exeruerint, sanitas imperturbata existet, incitamentis vero quocumque respectu erga individualem incitabilitatem discordantibus, morbus — seu incitatio abnormis sequetur, qui suos progressus facit, saepe in destructionem organismi, quin Autocratia Naturae quidquam operari queat, sed omnis cura morbi debet arte perfici per pharmaca maxime activa. Nil tamen opponere sciens castae experientiae, qua constat, morbos graves sibi relictos sanari, — dicit per potentias externas, quarum actio in organismum est constans, id evenisse. Ast ut de aliis huius doctrinae mendis taceam, ejus asseclae oblitum fuisse videntur, quod organismus vivus non passive se habeat in suscipiendis influxibus externis, quodque quotidiana doceat experientia: organismum habere vim, vitam suam individuaalem contra diversissimi generis et excessivi gradus influxus tuendi, seu ut ita dicam incitabilitatem suam conservandi, nullaque ratio assignari queat vim hanc, cum abnormis incitatio effectum organismo impressit, quasi paralyticam evadere debere, et in subingationem vel exterminationem stimuli dispropor-

tionati nil agere posse. — Et quid futilius eius obiectione dari potest? an absque nexu et commercio cum rebus externis homo existere potest? nemo tamen huic influxui saepe insensili aut plane contrario, sed viribus organismi sanationem illam spontaneam tribuet.

§. 18. *Doctrina Contrastimularum* Auctore *Razori*, progenies prioris, honorem quoque Autocratiae Naturae omnem demit, morbos a stimulis in corpore accumulatis, derivans, qui organismum destruere pergunt, sola natura haud refrenandi, nisi armis pharmaciae compungantur heroicis.

*Cel. Broussais* negat Autocratiam Nat. quidquam in sanitatem reddendam efficere posse, cum omnes morbos a Gastro-enteritide deducat, quae neglecta aut perverse tractata, nequit suapte per felicem se extricare crism, — quas ad figmenta medicorum refert, sed tunc necessario in morbos secundarios, adynamicos ruit.

§. 19. *Fr. A. Mesmer* eiusque discipuli, cum magnetismo animali curas exercentes, in quantum mystico suo agendi modo rationem scandalisarunt, in tantum sincera sua fassione: *curationem morborum perfici ab ipsa natura sola, ad curam eorum nihil aliud requiri, quam ut Autocratia Naturae excitetur et provocetur ad crises producendas etc.* eam pro parte sibi reconciliarunt. Sic et *Cel. Gmelin* innuit: *omnem Medici activitatem in eo consistere debere, ut organismum in tales relationes ponat, ut possit sibi met ipsi mederi.* Omnes profecto Mesmeristarum manipulationes, ventillationes, adspirationes, calmisationes, sparsiones, fixationes et his similia, quis credat plus operari, quam ut animus aegri exaltetur, ut Autocratiae Naturae subserviat.

§. 20. *Samuelis Hahnemann* theoria sic dicta homoeopathica clarissimum praebet documentum existentiae Autocratiae Naturae, quod tamen Reformator ille praetervidit, dumque totam medicorum inde ab *Hippocrate* cohortem, indecoro vel mediocri culturae hominis modo, ignorantibus aut impostoribus accersit, — se se turpissimis inconsequentibus implicat, quod et recentissime ad scandalum suorum etiam assaeclarum proposita cura Cho-

lerae orientalis demonstrat. Negat morbum eandem sanatum fuisse viribus naturae, et simul asserit nulla cura allopathica ullum unquam morbum sanatum esse, an sanatio cum granis triginta duobus Moschi, unciis tribus Cort. Chinae, vel cum drach. una Muriatis Hydrarg. mitis non est allopathica? — Non est huius loci probare, eius theoriam in suis principiis falsam, rationi sanae adversam, et opprobrium modernae scientiarum naturalium et artis medicae culturae esse, atque ad eum, quem praestare posset, salutarem scopum nos alia via certius ac fructuosius pervenire; verum in quantum Autocratiae Naturae ac crisi in morbis existentiam negat, animadverto: quidquid strictissimae diaetae iniunctione, vel halitus medicaminum (merito ita compellenda mellionesima fractione guttularum) exhibitione in salutem aegrorum operatus est, id Autocratiae Naturae tribuendum esse, et non aliud efficere, quam quod omnis rationalis medicus inde ab Hippocrate regimine diaetetico totiusque vitae, vel cura expectativa effecerat, et donec ratio supremi directoris agendi munere fungetur, efficere perget. Eadem animadversio valet in Aegyptiarum, circumforaneorum medicastro, et vetularum ut plurimum irrationalem sanandi methodum, e qua si quid boni propullulat, illud non huic, verum Autocratiae Naturae in acceptis referendum.

§. 21. Quod modernos Scientiae et Artis medicae coryphaeos concernit, unanimi omnes sententia dignitatem Autocratiae Naturae in sanitate sub varia periclitatione tuenda, et morbis saepe gravissimis sanandis confirmant, etiam quoad eius fontem et agendi rationem convenientes. Legat quis opera aut scripta eorum, audiat institutiones ad lectos aegrorum, in Clinicis quoque R. Sc. Univ. hungaricae factas, percipiet, quanta in modum operationum naturae singularium fiat inquisitio, quam parum pharmacis, nisi necessitas, debite pensitata, urgeat, in salutes Naturae conatus involetur. Ut hoc etiam respectu Natura super artem (vanas hic theorias et speculationes) triumphasse dici debeat.

## C a p u t I.

### Autocratia Naturae Conservatrix.

§. 22. *Autocratia Naturae conservatrix sensu stricto est virium ac facultatem hominis insitarum actio et nisus spontaneae ad sanitatem praesentem conservandam elicitus.* Existit nempe in homine vis quaedam, qua is absque concursu artis vitae suae integritati penes et contra influxus externos et peccantes internos, illam a normali tramite deturbare pares, consulit, vitam incolumen per suas periodos, ab Auctore Naturae praefixos, traducit, eamque usque euthanasiam comitatur. Incipit itaque haec vis eo momento, quo in sinu matris animatur homo, et desinit, cum is universali naturae resolutionis processui traditus, redit, unde emanavit, in sinum naturae universae.

§. 23. Ne quis credat, me de vi conservatrice hominis agentem entia absque necessitate multiplicare, singularitatibus adhaerere, et unitatem, ad quam ratio constanter adspirat, laedere. Naturam namque hominis, quatenus vitae in universo vigentis peculiarem modum et rationem in organismo sistit, considerans, non plures quam unicum vim ei praefigo, illi in reliqua natura vigenti analogam, tantum relate ad diversitatem speciei modificatam; quoad naturam vero rationalem hominem ad distinctum regnum referens, ei vim psychicam tribuo, non sola cultura elicitam, Naturae divinae scintillam nuncupandam. Mihi principaliter de priori agere convenit. Aioque: vim naturae hominis conservatricem nil aliud esse, quam peculiarem modificationem animae physicae, seu principii illius activi, quod homines ex infirmi mole gigni, formari, nasci, crescere, ac roborari facit, contenditque servare systema omnium partium organismi in aequilibrio harmonico, seu in circulo quodam functionum, quarum una amicabiliter sustentat alteram, ut pars una nequeat assequi praeponderantiam, quin aliae eadem proportione debilitentur, et dum potentia quaequam nocens aequilibrium turbare nititur,

istam vel subigit, vel e limitibus organismi proscribit. Radicatur itaque vis conservatrix in principio vitae, ipsa vero pro fundamento deservit cunctis functionibus organismi, adeoque ipsam quoque vim medicatricem includit, a qua eo respectu solo differre concipitur, quod illa ad sanitatem servandam, haec ad morbum depellendum referatur. An non et psyche in utroque hoc negotio suas contribuit partes? Omnino; tantum enim unione naturae physicae cum psychica hominis vera natura ponitur, dissolutione integra suffertur, et ob intinum hocce commercium prout saepe solo influxu psychico sanitas corporis subruí, quin vita extingui potest, ita ad sanitatem conservandam et vindicandam maxima saepe psycheos potentia indubia est.

§. 24. Stabilita iam Autocratiae naturae conservatricis notione, videndus est modus, quo natura, quae in suis operationibus est subtilior, quam quaelibet alia ars, in conservandam sanitatem nititur. Quamvis modus, quo natura operatur, candide iam fatente Cel. Sydenh'am, mortales semper latebit; nihilominus tamen si mentem serio adplicuerimus, quid de facto agat natura, et quibus in operatione sua utatur organis, deprehendere valebimus. Modum hunc diversum esse oportet:

1) Pro diversitate relationis, in qua homo ad mundam externum est. Haec vel talis est, in qua influxus ad vitam conservandam necessarii modum non excedunt, vel e contra; in priori casu sanitas hominis quantum licet perfectissima aequo functionum vitae plasticae ac animalis tam quoad quantitatem, tam quoad qualitatem tenore conservatur; in casu altero pugna enascitur inter potentiam nocivam et renisum organicum: dum hic cito triumphando impedit, quominus constans vitae internae aberratio eveniat, sanitas persistit, quod fit impensa omni virium physicarum ac psychicarum potestate, quin et abnormitate quadam in parte ignobiliori tolerata, ad nobiliores salvandas, et relativam sanitatem conservandam.

2) Pro diversitate aetatis, sexus, temperamentis, constitutionis individualis, consuetudinis, vitae



generis, climatis, anni temporis et omnium, quae statum virium ac receptivitatum hominis modificant.

§. 25. Relatione hominis in mundum ex omni parte normali existente, negotium conservationis vitae sae praecipue functionibus vitae vegetativae creditum est. Hoc ex analogia evidens fit; nam quid plantarum conservat vitam, folia viridat, flores ac fructus progignit, quam processus vegetationis, qui et in homine eo perfectior est, quo is proximior inferiori huic vitae modo. Sic aetate foetali sola fere vita vegetativa viget, qua foetus in utero matris organisatur, eoque rapidius increſcit, quo origini prior est, hanc vitae tendentiam conformatio et structura partium foetus et ad eum pertinentium indigitant; optime sic consuluit natura conservationi vitae illius, instituendo insuper, ut is in oceano nutricao natando, eo facilius elidat noxium effectum impulsuum externorum, qui tanti sunt, ut vita foetus in ortu exstingeretur, deficiente hac providae naturae sollicitudine. Cum post partum reliqua systemata et organa evolverentur, et luculentius fungi incipiunt, haec functionibus vitae plasticae subordinata esse debent, ut sanitas conservefetur, nec praedominium hoc plasticitatis violari patitur natura usque aetatem juvenilem, factaque violatio irreparanda totius corporis teneritudine, solito citius hominem tumbae imponente, plectitur, ut tristia huius aevi exempla sat superque testantur.

§. 26. Modus naturae in conservationem sub his adiunctis ex impulsibus eius innotescet, quorum praecipui, homini cum caeteris animalibus communes, sequentes sunt:

a) *Fames*, est salutaris naturae instinctus ad capiendum alimentum, ortus ex defectu materiae, succo gastrico subactionis substratum, et organismo substantias coagulabiles praebentis. Non est consuetudinis ad determinatam horam edendi, nec libidinis eius arte coquinaria excitatae progenies, sed verus Autocraetiae Naturae conservatricis impulsus, quo ens quodvis vitam manifestiorem ducens instruxit. Videmus radículas plantarum saxa saepe permeare, seque in terram humidam immittere, folia, imo integras

plantas versus radium solis inclinari, tamquam vera eorum vegetationis requisita. Sic pullus, vix ex ovo prosiliens, iam grana legit. Et vide, quomodo iuvenens humanum, vix ex utero materno egressum, se spontanee versus mammas maternas vertit, et exinde sugit lac cum arte, quam a nullo unquam percepit, quomodo scit ille vacuum in ore efformare, et movere omnes musculos deglutitionis? Praeterea necessitas cibi capiendi eo frequentius redit, quo organismus iunior, adeoque nutritionis magis indigus est, difficilius hic perfertur fames, et morbi aetatis huius a deficiente vel excessiva illius adimpletione orti, potissimum in plasticitate radicantur.

b) *Sitis*, est salutaris naturae instinctus ad capiendum potum, ortus e defectu humidi aquei, ad humorum corporis humani debitam qualitatem conciliandam necessarii. Esse sitim naturae impulsus, eius universalis necessitas probat in regno vegetabili ac animali; cui difficilius resistitur, quam fami, ob quam regiones siccas torridas incolis pone vacuas conspicimus; nec opponi possunt exempla animalium, nunquam libere visarum, nam haec, locis humidis versantia, ex atmosphaera vasis insorbentibus cutaneis potum hauriunt.

c) *Impulsus ad excretionem* illorum, quae assimilationi organicae inepta ex organismo eliminari debent, ne in corruptionem ruentia destructionem post se trahant.

d) *Somnus* ad principales naturae conservatricis actus refertur, quo ea conscientiam, motusque voluntarios, exercitio langventes, silere, et solam vitam reproductivam regnare facit, per quam energia animalium functionum novitus restituitur. Eadem ratio hic locum habet, quae in caeteris instinctibus, nempe quo origini propior organismus, eo magis hoc impulsu regitur, ideo neonatus immaturus continuo fere dormit, et infans primis vitae annis frequenti ad somnum capiendum impulsu urgetur, sed nec adulto diu parcit, et si temere proscribatur, gravissimas toti organismo adducit sequelas.

Sicque Natura scit protegere existentiam suarum creaturarum, hinc naturalis saepe prodigiosa cura et amor matrum in proles suas, hinc omnem actionem,

quae capax est speciei vel individuū conservandi, sequitur oblectamentum. Sic formatio creaturarum, augustissimum opus eius, fit per ardentissimam voluptatem, hinc oblectamentum comedendi ac bibendi, sic omnes evacuationes necessariae cum grato sensu accidunt. Et opera intellectus non fiunt sine magna voluptate mentali, hinc venit gaudium Archimedis, cum is nudus e balneo prosiliens exclamasset: *inveni*. — E simili causa omne id, quod cum oblectatione et secundum naturam accidit, dat vitam, dat sanitatem, dat pulchritudinem.

§. 27. Hi sunt praecipui impulsus, quibus Autocrazia Naturae utitur ad conservationem sanitatis individualis sub normali hominis relatione ad mundum, dixi *praecipui*, probe memor caeteris vitae functionibus non solum famulitiam, sed et cooperantem competere dignitatem, vitamque sanam nonnisi in harmonico omnium functionum concentu locum habere. Ex hoc respectu Autocrazia Naturae conservatrix expostulat:

a) *ut homo debitum musculorum exercitium colat ad roborandam sanitatem*; hic impulsus in quovis genere animalium se manifestat, sicut in homine quoque, quod iam foetus in utero materno vibrationes, puerorum lusus potissimum cum motu: ut cursu, saltu, rotatu, natatione, aequilibratione et his similibus iuncti, sui vestigia manifesta et apud rudes populos habentes, probant.

b) *Ut homo sensus in- ac externos, nec non facultates animae superiores perpoliat*. — Sensuum exercitium Autocrazia Naturae conservatrix postulat; nam haec sunt organa, quibus nexum cum reliquo mundo, delicias cunctas vitae particularis suppeditante, fovemus, et superioribus animae facultatibus fomitem damus, horum itaque exercitio neglecto non solum organismum imperfecte formari, sed et animam imbecilem esse oportet, quod videre est in hominibus, vallibus profundis inclusis; hinc naturalis hominis in loca amoena, silvas et campos, ad cantum et musicam, ad substantias odoríferas, ad balnea et caetera, propensio. Quod Autocrazia Nat. conserv. hominis, absque conscientia operans, tamen superiorum animae facultatum cultura adiuvetur, nemo inficias ibit, qui nexum

intimum naturae physicae cum psychica perpenderit, non unilateralem culturam intellexerit, sed eam, qua singulae facultates, voluntas et intellectus, aequabili tenore perficiuntur, ut totus homo perfectior evadat.

§. 28. Homine in abnormem cum mundo relationem posito, vel abnormitate quadam in ipso organismo generata, non semper evolvitur morbus, autocratia quippe naturae conserv. saepe confestim omnem abnormitatem exaequat, et sanitatem conservat. Susceptio quippe consvetorum influxuum mundi externi dirigitur per principium vitae secundum necessitatem singuli organi, cum mundo externo nexi, excessivum influxum, seu influxum organo et systemati non adaequatum arcet, etiam libera hominis voluntate huic saepe opitulante, eliditque, opponendo illi energeticum activitatis suae renisum, susceptum vel subigit, et immutat in proprias vitae necessitates qua alimentum, vel qua incitamentum activitatis suae, semperque cum mundo externo in talem relationem se ponere nititur, ut vita eius individualis consveto modo subsistere possit. — Sic quae diuturna fit materiaram organicarum ac virium detritio, insti ctu naturali ad esum et quietem resarcitur, e contra consumptione per sedentarium vel otiosum vitae modum restricta existente, minor ad cibos capiendos, et somnum propensio exoritur. Sic hieme eveniens caloris animalis deperditio, per exaltatam digestionem et assimilationem restituitur; videmus agente altiori temperaturae gradu in digestionem prostrata, in sudore, eiusque per cutim evaporatione illud medium, quo Autocratia Naturae thermogenesis impedire, caloricum e corpore derivare, et praecavere nititur, ne temperatura eius interna gradum abnormem altiore adipiscatur, hinc quoque ad processum illum exhalationis et excretionis cutaneae sustentandum, semper maius est aestate desiderium potus. Sic cum aura oxygenio purior sicca densaque diutius in organa respirationis agit, activitas pulmonum, et irritabilitas sanguinis summopere exaltatur, Pyrexiae, et Phlogoses orirentur, corpusque organice combureret, nisi huic processui reactio organica obices poneret: promovendo digestionem, qua maior substantiarum plasti-

carum quantitas paretur, ut sic contra resolutionem, ab oxygenio provocandam, organismus defendatur, et resoluta quo ocyus reproducantur. Contrarium operatur Aut. Nat. cons. dum aër humido calidus, sub eodem volumine minus oxygenii tenens, in corpus agit, per quem pulmonum, et cutis functione depressa, immutatio materierum organicarum languida, et accumulatio humorum serosorum evenit, quo influxu diutius durante, corporis nimia laxitas et in massam mucosam conversio vitaeque extinctio sequeretur, nisi Autochr. Nat. conservatr. hic quoque succurreret integritati organismi: accumulationi substantiarum aquosarum auctas se- ac excretiones urinae, et membranarum mucosarum, anorexiam item et adypsiam opponens, ad lentum metamorphoseos organicae processum erigendum naturale desiderium tonicorum, stimulantium, in specie spirituosorum et aromaticorum provocans.

Sic potentia quadam mechanica suo impactu ruinam organismo minante, talis fit Autocratiae Naturae cons. renisus, ut nocens e-ventriculo per emesim, ex intestino per catharsim, e larynge per tussim mox eiiciatur, e partibus solidis per pus eluatur, inflammatione circum — et proscribatur, aut propria membrana cinctum, innocuum reddatur, vasorum haematophororum continuitas laesa mox thrombo restituitur etc. Sic in graviditate extrauterina non semper pereundum est matri, sed Autocratia Nat. cons. operatur, ut foetus in suppurationem ac destructionem transiens, variis viis, per pus apertis, eliminetur, a destructione vero illa partes alias custodit saepe per formatum pseudo-uterum, vel ut in lithopaedium conversus, per plures annos, vita matris incolumi permanente, foetus ille gestetur. Sic adsvetudinis mira efficacia, qua fit, ut inter influxus vitae adversos tamen sanitas saepe diutissime perstet, non aliunde, quam ab Autocratia Naturae conservatrice profluit.

§. 29. Conatus Autocratiae Naturae conservatrices luculentissime se produnt in praecavendis illis malis, quae incolumitati organismi ex dispositione, per varias evolutionis vitae periodos posita, insidias strunt. Per aetatem infantilem, praecipue

tempore dentitionis posita dispositio in excessus plasticitatis ac irritabilitatis praecipue in cerebro, ad huius inflammationes, cum exsudatione morbosa lethales, dispositio, coërcetur per antagonisticè exaltatam ventriculi et viscerum abdominalium functionem. Aetate iuvenili cum evolutione pubertatis se insinuans dispositio in excessus sensibilitatis, nec non ac praecipue irritabilitatis in pulmonibus, compescitur per desiderium ciborum ac potuum emollientium, refrigerantiumve, per somnum profundum, huic aetati proprium, tandem per spontaneas haemorrhagias arteriosas frequentes. Aetate virili praedominans plethora abdominalis, in morbos diversissimos viscerum abdominalium disponens, consopitur: adpetitu minori, consumptione maiori, per exercitium functionum sexualium, labores graves, sudores largos, fluxu haemorrhoidali, in foeminis per graviditatem et partum; his autem silentibus, per corporis obesitatem, leucorrhoeam, diarrhoeas frequentes, urinae se- ac excretiones largas etc. Aetate senili, vita a culmine vigoris recedente, destruenti naturae externae impetui, sensuum stuporem, partium rigiditatem, thermopoësis ac totius restorationis languorem, ac mortem inferre intenti, Autocratia Naturae conservatrix adhuc resistit, excitans in senio instinctum in cibos concentratos, nutrientes, ac potus spirituosos, nisum in exhilarationes psychicas, sed praecipue nisum in quietem; qua dispositioni in resolutionem, et partium resolutarum congestiones obviam it, cui etiam succurrit per alvi et urinae excretiones liberas, habituales senibus mucii e pulmonibus et bronchiis excretiones, et sic vires vitales usque euthanasiam sustentare studet.

§. 30. Sed etiam dum influxu externo abnormitas organica, pro se irreparabilis, contigit, vel cum organismo gravis instat morbus, non cessat autocratia naturae cons. sanitatis moliri permansionem. Sic oculo uno amisso, alterius lumen acuitur, utrique deperdito, tactus et auditus subtilitas substituitur. Trunco aliquo arterioso deligato, vasa collateralia ampliantur, vices prioris perfunetura. Testiculorum uno deperdito, alter alacrius in spermatis secre-

tionē fungitur, secretionē una deficientē, secernendum in aliis vicariis paratur organis. Sic cum transitus sanguinis per pulmones moratur, suspiriis propellitur, sic — cum ob circulationis languorem oppressio vitae instat, hanc autocr. nat. cons. oscitatione et pandiculatione expedit. Quam maxime hoc respectu notatu digni sunt morborum quidam status, relativam sanitatem non turbantes, quibus Aut. Nat. cons. gravissima saepe vitae pericula praecavet: sic per ulcera foeda, fonticulos diutius suppurantes, per impetigines, sudoras saepe profusos universales vel particulares, uti pedum, axillarum etc. quis non novit optime a susceptione contagiorum quorundam, praecipue Pestis orientalis hominem muniri, apoplexias, insultus arthriticos, epilepticos imo ut Cel. Pinel testatur, ipsam maniam praepediri, quis non novit penes poriginem crustaceam prolium, scabiem adulatorum etc. sanitatem optime florere, his vero cito sanatis, aut retro pulsis variē, vitam periclitari, ipsum hydrocephalum, phthisim pulmonalem, amauroses, surditates, et alia mala evolvi. Sic saepe utitur natura haemorrhagiis, ut epistaxi, haemoptisi, haematemesi, profluvio serosis etc. ad statum relativae sanitatis servandum, prout haec Cel. Raymond in suo opere classico: *Traité des maladies, qu'il est dangereux de guerir.* à Paris 1816. 8. et Cel. Klose, *Über Krankheiten als Mittel der Verhütung und Heil.* v. Krankh. Breslau. 1826. 8., scientifice describunt ac demonstrant.

§. 31. Necessarium autem omnino est, ut exquisitè constet, quinam vere sint ita dicti vitales actus, quorum efficaci usu res, corpori nocere aptas, Natura repellat, corpus suum semper purum ab alienis, et eo ipso integrum et inviolatum praestet, — e communibus certe dogmatibus de vita leges illae exsculpendae; cum tamen clariori hae luce in Naturae nisu sanitatem amissam reparandi fulgeant, illas sequenti capiti elucubrandas trado, Hic brevibus cupio adferre causas, quibus Autocratia Nat. cons. limitatur, suapteque incido in quaestionem, a multis iam ventilatam: An Autocratia Naturae hominis modo ita valida sit ut antea? et si non, an huius causa in essentiali natu-

rae hominis debilitatione, vel in accidentalibus quibusdam rationibus fundetur? Multi Auctorum, et plures historioli genus humanum, prout modo est, multum degenerasse asserunt ab illis serae antiquitatis vel et aevi medii hominibus, tam respectu conformationis corporis, quam respectu energiae ac durabilitatis virium organicarum, principali argumento adferentes: apparatus armorum ut cassides, clypeos, loricas metallicas etc. quae moderni vix levando sunt, antiqui vero cum facilitate quadam gestarunt; item longaevitatem vitae antiquorum, ingentium fatigiorum tam physicorum quam psychicorum tolerationem, vulnerum gravissimorum apud eos spontaneam sanationem et sic porro, quibus contraria recens offert aetas documenta, hinc inferunt, Autocratiam Naturae conservatricem hominis perquam debilitatam esse. Videtur his favere theoria incitabilistarum, qui morbos plurimos astheniae adscribentes, nil nisi stimulare — roborareque noverunt, quin et theoria Hahnemanni, qui non fortius, quam decillionesima grani de pharmaco quodam heroico parte, in machinam hominis tam teneram involare audet. — His, ne fabularum refutatione tempus perdam, cum Cel. Haller respondeo: si humana natura defecisset, etiam reliqua natura deficere, eque suis viribus perdere debuisset, cuius tamen nullum detegimus exemplum. Quod nostri milites arma illa gravia antiquorum portare nequeant, soli desuetudini tribui debet, nam prout Aeneas Sylvius testatur, praedecessores nostri a tenerrima aetate in armis exercebantur, ut citius equitare quam loqui noverint. Et an non cuilibet nostrum nota sunt exempla virorum fortissimorum v. c. in fabricis ferri aut molis, qui gravissima onera levant, et alia hominum, iucundam seram aetatem attingentium? Sed illi ipsi apparatus armorum, in antiquis armamentariis conspicui, sicut et ossa humana, ex antiquis tumulis in lucem protracta, testante ipso Cel. Blumenbach, irrefragabili deserviunt testimonio, quod prisca gens mortalium, si aliquot rara singularia exempla, qualia et moderna aetas quotidie producere potest, demas, nihilo maior vel minor fuerit, quam inique ita dicta moderna progenies vicio-



sior, quae illis quoad staturam nihil, sed nec quoad corporis robur tantum cedit, ut quidam laudatores temporis acti queruntur.

Quod tamen plures ac frequentiores morbi modernos infestent mortales, non in naturae, sibi semper constantis, degeneratione, sed in causis accidentalibus, Autocratiam Naturae conservatricem hominis, qua entis finiti ac contingentis, limitantibus, fundatur: sic in cultura malesana, educatione perversa, consuetudinibus viciosis, quibus otium, plurimos excessus psychicos, nec non physicos in esu et potu et amictu, aliaque innumera, sanitatem hominis subrodentia, mala comprehendo, sat superque per alios depraedicata. Etiam inter has procellas valetudinem saepe diutissime defendere succedit Autocratiae conservatrici, verum nemo prudens ab ea postulabit, ut cum vires vitales per excessivas illas potentias suffodiuntur, haec armis suis spoliata, illis resistere valeat. Salva hinc Autocratia Naturae conservatricis morbi oriuntur, ad quos propria virtute tollendos rursus consurgit vis vitatis, quae tunc Autocratiae medicatricis nomine insignitur.

## Caput II.

### Autocratia Naturae medicatrix.

§. 32. *Autocratia Naturae medicatrix est virium ac facultatum homini insitarum actio et nisus spontaneae ad sanitatem amissam restituendam elicitus. Vim hanc non esse vim quamdam peculiarem, sed complexum virium corporis animalis, quarum activitas in relatione ad morbum est salutaris, atque pro fundamento vim Naturae conservatricem agnoscere, supra adduxi. Haec vis non in eis solum casibus summenda, in quibus conditionem vitae, a sana abludentem, absque ullius medicinae interventu statui normali restitui cernimus, sed, et principaliter in illis, in quibus interventus Artis tam levis aut plane incongruus fuit, ut sanatio illi nullatenus tribui possit; quia imo etiam auxilio artis potenti congruo adhibi-*

to, maxima revertentis sanitatis laus Autocratiae Naturae medicatrici competit, illa enim optime noscit cunctas suas functiones ad ideam vitae dirigere, et quod pharmaco attingere nequimus, illa secundum leges nostra cognitione abstrusiores perficit. Latissime itaque patet activitatis Autocratiae Naturae medicatricis campus, quae non tantum, dum potentiae externae, quibuscum in nexu necessario constituimur, in Organismum agunt (contra Brown), sed et tunc, cum morbum pharmacis propulsare studemus, plurimum in salutem aegri operatur.

§. 33. Non obstante vi Naturae conservatrice morbum oriri, nil repugnantis involvit; nam ut illa cyclum vitae morbis intemeratum finiat, (aeternitatem enim enti finito dare non potest, nisi sub aliis formis idem ens comprehendere velimus) duplex requiritur momentum: nempe ut processus vitalis gradum vigoris, singulae vitae periodo adaequatum, possideat, et potentiae in-ac-externae, absoluta nocendi potestate imbutae, exulent, caeterae vero gradum non excedant, his conditionibus praesentibus non tam rara videmus exempla hominum, grandem aetatem absque ullius morbi notitia viventium; sed maior est numerus eorum; quos iniqua sors contrarium experi facit: virtus namque vitalis hominis tantis infringitur e causis, partim praedisponentibus, parentum saepe culpa, aut propria fragilitate acquisitis, partim excitantibus, iterum aliorum malitia, vel propria imbecillitate aut necessitate susceptis, ut ex his integritatem vitae vacillare; et a norma deturbari necesse sit, non tamen illico succumbere, renisu vitali, in quem pharmacon, vitam periclitantem salvare pergens, agit, etiam rebus iam conclamatis superstite.

§. 34. Hic est de legibus ac mediis disse-  
rendi locus, quibus Autocratia Naturae suam medicatricem assequitur tendentiam. Antiqui, huius agentis in morbis aestimatores, unanimiter tenuere edictum Hippocratis: *invenire naturam sibi ipsi vias, et quae conveniunt, peragere*, definiveruntque vias has interdum, imo communissime ordinarias et secundum naturam consvetas, interdum autem de re-

liquo insolitas, interim negotio, quod intenditur, ita proportionate satisfaciendes esse, ut inde restitutio aegri in sanitatem subsequatur, quod per proportionatas se- ac excretiones fieri docuerunt, crisiarum doctrinam ad has solas restrictam, sanationemque omnis morbi cruditate, coctione et excretionibus criticis absolvi credidere. Doctrina haec recentioribus temporibus magnam modificationem subiit, non tamen subversa est, nec unquam subvertetur, cum in recta naturae observatione sit fundata; sed ad altiores leges reducta, unde media profluunt, quibus natura in morbis sanandis utitur. Leges illae iuxta Cel. Hartmann sequentes sunt:

I. „Corpus vivum ipsa virtute vitali renititur mutationi abnormi; quam potentia nocens molitur, quamdiu haec certum violentiae gradum non fuerit transgressa.“

II. „Corpus vivum intra limites suos nil patitur alieni, sed omne potius peregrinum, aut forinsecus illatum, aut in internis suis generatum vel sibi assimilare vel eliminare admittit.“

III. „Quodlibet virium ac materiarum dispendium aliquam motuum quietem pedissequam habet, qua nisi plastico, continuo vigenti, amissa restituendi suppeditatur potestas.“

Ex his media Naturae med. oriuntur sequentia:

1) *Polaritas vitalis systematum et organorum*, qua fit, ut morbo, in una parte organismi enato, aliorum organorum reactio opponatur. Corpus quippe organicum totum refert, miro singularum partium inter se, ac cum toto nexu instructum, in quo itaque mutatio nulla evenire potest, quin reliquae partes plus vel minus de ea participant. Sic inter quae organa polaritas consentiens vel vicaria adest, v. g. inter organa abdominalia, inter mammas et uterum, vel inter cutim externam et membranas internas etc. illa per morbi diffusionem reactionis vitalis vim augendo, vel deficientem functionem unius organi alteri tradendo, harmoniam functionum restituunt. Ubi polaritas regnat opposita seu antagonistica v. c. inter cerebrum et organa abdominalia, inter systema nervosum et syst. vasorum, inter systema vasorum sanguife-

rorum, et syst. vasorum capillarum, inter irritabilitatem ac plasticitatem etc. ibi accidit, ut unius activitas exaltata, ad alterius abnormem activitatem tollendam serviat, quod comprobatur in morbis animae, saepe per revolutiones tubi cibarii sanatis (Tissot), eximia cutis virtute revellente, irritabilitatis, in quacunque corporis parte exaltatae, per auctas plasticas pulmonum, cutis, renum etc. functiones, depressione, quo se ac excretionum salutarium caterva spectat.

2) *Adsvetudo*, hac homo mutationi abnormi, quam potentia nocens in corpore moliretur, optime resistit, processu vitali iam renisui accomodato existente, hac invulnerabilitatem quamdam homo contrahit a certis morbis, ipsis contagiosis, vel accipit facilitatem resistendi myasmatibus, venenis ipsis, prout exempla plurima testantur; sic nunquam tantae pertinaciae est Pestis orient. apud Turcas, ei adsvetos, eam non timentes, nullis remediis tractantes, nisi aquam bibentes, quam apud europeos alios praecipue divites, pharmacis oppressos, et hinc. Cel. Virey recte dicit: *ecce mala saepe sunt meliora iam adsveta, quam integritas sanitatis inconsveta*. Inde est, quod homines valetudinarii curriculum magis uniformem percurrant, magisque placidum, saepe etiam longiorem, quam qui corpore maxime sunt vigoroso, in hunc scopum memorabile est Senecae effatum: „*nullo nomine melius de nobis natura meruit, quam quod cum sciret, quibus aerumnis nasceremur, calamitatum molimentum consuetudinem invenit, cito in familiaritatem gravissima adducens.*“ De tranquil. animi. C. X.

3) *Evacuationes oriticae*, has plurimi antiquorum pro unico medio Autoc. Nat. medic. habuere, credentes, nullum iudicari morbum, quin hae eveniant, causam vel productum morbi evehentes. Sed et antiquitatis quidam medici, ipse Hippocrates, perspexerunt, et plurimi recentissimi cum ingeniosissimo Reil docent: crises non solum materiales, quibus etiam non semper materiae peccantes, acres, nec semper morbi producta evehuntur, sed saepe tantum reditus functionum ad normalitatem designatur, verum etiam dynamics absque ullo educto dari, non omne, quod excernitur, solutionem morbi adferre, eo minus

in morbis, quibus causa materialis nulla subest, uti in plurimis nervosis, imo et in febribus ab aëre paludoso vel refrigerio vel animi adfectibus ortis. Evictum tamen est dari salutare evacuationes criticas, suo tempore, nempe tempore remissionis morbi, et suo modo ab Autocratia Naturae provocatas, harum species frequentiores sunt: haemorrhagiae nasi, uteri, haemorrhoidales, pulmonum, organorum uropoëticorum et ventriculi, sudores, urina, diarrhoea, vomitus, rariores: sputum, salivatio, abscessus partium in ac externarum, quae et parotides, furunculi, tumores pedum, sphacelus, etc. spectant.

4) *Vis adsimilatoria, immutans, reproducens*, quibus Autocratia Naturae potentias nocentes subigere, neutralisare, innocuasque reddere, morbo resolutas, expulsas, restaurare nititur, cuius illustre exemplum praebet Marasmus metallicus, ab arsenico inductus, et tabescentia, ex inanitione humorum orta, quae mala, causis remotis, per Autocratiam Naturae sanantur.

5) *Nimiae functionis cuiuslibet organi ac systematis spontanea exhaustio, factorisque nervi imprimis reproductionis, maior durabilitas*; his fit, ut morbi impetu suapte remittente, vel plane intermittente, factor nervus, qua principale ad integritatem vitae conservandam medium, tempus nanciscatur, mediis supra enumeratis normalitatem restituendi. Hinc Somnus ad principalia Autocratiae Naturae media refertur, sub quo, facultatibus mentis abolitis existentibus, synergia motuum mediaticum multo completius exercetur, et qui, nisi sit symptomaticus, plurimorum morborum crisin faustam praenunciat, quo fit, ut aegri gravissime decumbentes ex eo, saepe protacto, sanissimi expergeant, ut amoenae ab ipso Hippocrate notatae historiae docent. Hinc mihi explico, quod quicumque rationali actui impensius dediti sunt, quicumque adfectibus animi, uti timori (in Cholera Orient!), irae, etc. indulgent, gravius in morbis laborent, quam simpliciores et incurii; sic idiotae, ac praecipue animalia multo facilius sanantur, quam homo impatiens, vel femina, minimis iam symptomatibus territa, nimis de sua sanitate anxia. Ad rem dicit Cel. Virey: *pruden-*

*tem esse illam providentiam naturae, qua vires vitales imperio nostrae voluntatis, ita mobilis, et temerariae, subtraxerit.*

6) *Instinctus*, hic voluntatis, boni vel mali inconsciae, impulsus ad illud amplectendum, hoc vero omittendum, ad sanitatis restitutionem saepe quam optime Autocratiae Naturae famulatur; provenit enim e penetralibus ad sui conservationem nitentis animae physicae, quae utique *citra disciplinam ea, quae conveniunt, efficit*, provenit ex intimis vitae reproductivae, eiusque directoris systematis gangliosi, et ideo: quo vita physica eminentior, et quo vegetatio magis est praedominans, eo instinctus frequentiores et accuratiores sunt, e contra quo magis illa reprimuntur, et vita psychica ad altiorem eluctatur gradum, eo instinctus sunt rariores, fallaciores, aut plane omnes silent. Hinc bruta meris instinctibus reguntur, vitam conservant, morbos sanant, sic canis gramen masticando vomit, luppus a fungo purgatur, cervus vulneratus dictamnium vulnere adterere dicitur; homo crudus et infans plures produunt instinctus, quam homo cultior, nihilominus tamen in statu morbo Autocratia Naturae etiam in his plures excitat instinctus veros, a falsis ubique per id distinguendos, quod illi tempore remissionis morbi, vita physica in se conversa, ut plurimum tempore quietis, somni, in organis, cum adfecto polaritate opposita nexis, compareant, constantes sint, et causae morbi directe opponantur, sic v. c. in morbis acutis nimia potus gelidi, in biliosis vel putridis acidi quantitas exposcitur, in mucositate, salsa et acria, in aciditate primarum viarum, alcalina et terrea remedia desiderantur etc. Saepe modum, quo res, instinctu expetitae, prosunt, non possumus explicare; sic Cel. Klose narrat: Phthisim, et arthritidem fragorum, alias ostrearum esu, tabem excessivo potu limonadae, ascitem cerevisia, dysenteriam succo ribesiorum, cucumeris piperitae, brassicae, et aliis vegetabilibus sanatam. Antiqui tantopere aestimarunt voluntatem quin pervicaciam naturae, quae se ostendit in appetitu instinctuali, ut omnia obtulerint infirmis, quaecunque desiderarunt, sic ipse

Hippocrates dicit de Affectiōibus N. XLII.: „qualiacunque sint alimenta, variae species ciborum et potulentorum, quae adpetunt infirmi, des illa ei, nisi evidenter possint corpori nocere,“ et alibi (Sect. II. Aphor. XXXVIII.) „quia nutrimentum et potulentum iam vel ideo, quod placeant, debent praeferri aliis etiam sanioribus; meliusque digeruntur.“ Sic Sydenham praescribit, ut in declinatione febrium continuarum infirmis dentur, quae desiderant, etiam si forent res incongruae; quia conatus naturae conservatrices superant intentiones et habilitatem maximorem medicorum.

7) *Vita psychica*, haec plurimum a nervorum pendet gubernio; iam sub quovis morbo receptivitas factoris nervei, partis adfectae, fit maior, activitas exaltatior, hinc coenaesthesia alienata, dolores ac inquietudines aegrotantium proveniunt, quae eos impellunt ad sibi autocratice medendum, quod saepe fit, mentem a sede mali revocando — nil morbum curando, voluntate causas morbi removendo, vitando.

8) *Tandem morbus alter*, sic certum est, morbum omnem in se spectatum, esse resultatum vis Naturae medicatricis, esseque iam reactionem nostrorum organorum viventium, contra malum excitatorum, iam disordinem motuum, seu defectum aequilibrīi, quod adspirat redire ad unitatem harmonicam sanitatis. Talis est *Febris*, tam continua remittens, quam intermittens, quam saepe excitare conamur, ut morbos alios sanemus, sic videmus, post febres perpeccatas incrementum corporis in iuvenibus promoveri; infarctus lienis, hepatis resolvi, catarrhum, rheumatismum, et arthritidem, cachexiasque alias uti Chlorosim, Hydropem, scrophulas etc. imo nervoses cum materia, ipsum tetanum, epilepsiam, Hippocrate iam perhibente, quin morbos mentis sanari, alias febres subigendis ac eliminandis contagiis optime inserviunt, hinc morbi contagiosi affebriles magis deleterii esse solent. Lipothymia saepe magnam metrorrhagiam tempore abortus sistit, quantumque peccaret is, qui hanc per cardiaca abigere mox conaretur. Morbi graviores saepe sufferuntur levioribus, praecipue in organis polaribus excretoriis comparentibus,

sic v. c. epistaxis suffert capitis dolores, vomitus saepe hemicraniam, paroxysmum febrilem, convulsiones, insultum apoplecticum et paralyticum, quoties eruptiones quaedam herpeticæ vel aliarum impetiginum non levarunt in momento morbos quosdam internos, iam pro insanabilibus habitos, quoties fluxus hæmorrhoidalis non sustulit malum hypochondriacum, melancholiam, ischiadem, maniam, vel fluxus serosus per vias varias hydropem, vel unus insultus arthriticus adfectiones alias nervosas, salivatio spontanea terminavit rheumatismum, fluxus urinæ copiosus dysenteriam, sudor vomitum pertinacem etc. etc. Sed et interiora versus possunt hæc mutationes morbosæ criticae verti, et tunc fiunt periculosæ. Ideo medicus debet studere vis naturæ medicatricis directionem, et crises versus organa emunctoria maxime salutaria dirigere.

§. 35. Vis naturæ medicatrix per hominum diversissima vita adiuncta regnans, his, tantis item pharmacorum incurisibus, totque morborum generibus opposita, variam et ipsa in sua agendi ratione modificationem ac directionem subeat, oportet. Ad prini generis momenta modificantia pertinet.

1) *Aetas*, nam singula vitæ periodo homo non tantum materiæ organicae, sed et processus vitalis offert diversitatem, quare vitæ manifestatio quaelibet, proinde et ipsa vis medicatrix aliter singula aetate quoad vigorem ac indolem evenire debet. *Aetate infantili* prædominans functio systematis lymphatici, receptivitas nervorum exaltata, cum debili reagendi potestate, dispositiones morbificas, morbosque ponunt, abundantiam, dyskrasiamque humorum plasticorum, maioremque nervorum sensibilitatem præseferentes plurimos, qui vitam in ortu extinguere pergunt, non crudeli, secus benignæ, Naturæ destinatione, sed ob curam neglectam vel perversam infantum, ob difficultatem diagnoseos arduam; sed eo luculentius Autocrazia Naturæ hic comprobatur, quæ sola saepe gravissimos infantum sanat morbos, summendo directionem aetati conformem, scilicet ad plasticam materiam excedentem restringendam, emendandamque, hoc fit: per frequentes aetate hac emeses, ac



diarrhoeas spontaneas, exanthematum ac impetiginum salutarem per totam saepe cutim praecipue faciem disseminationem, per frequentiores instinctus naturales. Ex hoc instinctu infantes saepius, sed tantum ad satietatem edunt, potulentam avide appetunt, vinculorum et nimii caloris tam impatientes sunt, ex hoc instinctu oritur hac aetate adpetitus ad cibos salios, acres, acidos, apud alios in calcem, cretamque etc. quibus Natura plasticorum indolem corrigit; tandem per febrim, qua sanguis a plasticis perpurgetur, stagnationes, in hepate, glandulisque meseraicis obvenientes, discutiantur. Sic scrophularum sanatio saepe solius Naturae opus est. Sic ophthalmiae neonatorum saepissime Auctoritas Naturae sola felicissime sanantur. — *Juventus*, nisum formativum coercitum, irritabilis ac sensiferae vitae functiones in maximo vigore constitutas exhibens, ad excessus systematis haematophori et nervorum eo magis praedisponitur, quod reagendi facultas nedum sufficienti robore sit donata, hinc morborum acutorum frequentia, et ideo maior activitas Auctoritatis Naturae, cuius vires praeferenter ad pulmones, sanguinis torrente liberandos, diriguntur haemorrhagiis, sudore, et urina. — *Aetas virilis* culmen perfectionis omnigenae hominis tenet, hinc et vis Naturae medicatrix summo instruitur hic vigore adeo, ut reactio haec organica non raro ex-cidium organismo struat, saepius tamen morbum in exordio suffocet; normalis eius directio fit ad plethoram abdominalem, praecipue in systemate venae portarum radicatam, mitigandam, ad regnantium hac aetate adfectuum, curarum ac studiorum sequelas in hepar ac cerebrum tollendas, ad organa item genitalia, quorum frequens exercitium malorum agmen augere solet. Aliam tamen modificationem vitae genus persaepe huic aetati imprimit. — *Senectus*, ipsa morbus, si vis, eo sensu dicenda, quod continuum ab acme vitae recessum monstret, Auctoritatis medica-trici vim ac modum, praeteractae vitae conformem, indit, in genere tamen debilem, cum energia systematis reproductivi decrescat, et ita modificatum, ut debili renisu partium solido mollium ossescentiam, aliarum resolutionem, per urinam secessum impediendo

sit impar, adiciendo largitatem secretionis pulmonalis, qua a congestione sanguinea vasa cerebri laxa, sicque ab apoplexia et paralyti custodit, et restaurationis vitalis per nutrienti-stimulantium vitae subsidiarum elevationem artificialem.

§. 36. 2) *Sexus*, hic notabiliter modificat vim naturae medicatricem. Etquidem *Sexus muliebris* organisationis teneritudine, actionis vitalis maiori alacritate, non robore, vitae vegetativae praedominio, organorum genitalium functione multiplici, arctiorique ad integritatem totius organismi influxu, Autocratiam Nat. med. durabiliorem, lente, ast secure, mira nonnunquam ratione, se exerentem, praebet, principalemque sumit directionem ad plasticorum copiam impendendam, felix, cum catameniis, graviditate, fluxu lochiorum, ac lactatione id evenit, infelix, cum per leucorrhoeam, per desorganisationes, in loca nobilia depositiones, id fit. Graviditas ipsa quanta non offert Autocratiae Naturae documenta, siquidem actionis vitalis principalis in uterum conversio ceteros organismi morbos silere, imminentes, saepe et epidemicos elidere, vel facilius superare facit, difficillimumque partus negotium prospere sola perficit. Wigand. — *In sexu virili* longe diversum deprehendimus processus vitalis, et organisationis statum, qui se characterisat praecellentia vitae animalis et psychicae; actionum vitalium robore ac constantia, vitaeque reproductivae subordinatione; hinc ibi sedes principalis morborum cum typo saepe acutissimo, hinc celerior ac fortior Autocratiae Naturae medicatricis ad reactionem sollicitatio, polarium actionum, salutariumque crisis frequentior comparitio, et promtior morbi in bonam vel malam partem iudicatio. Unde provenit, cur seram aetatem pauciores viri, quam feminae assequantur, vitam tamen in tempus longissimum nisi vir protrahere possit.

§. 37. 3) *Temperamentum*, his singulo homini propriis varius exprimitur unionis vitae psychicae cum physica et huius cum omnibus corporis systematibus et organis modus, quae igitur etiam Autocratiam Naturae modificare debent, eo a fortiori, cum quodvis temperamentum praeminens dispositionem in

morbos proprios pariat, et aliunde enatis aliquid e suo caractere mutuet. — — *In temperamento sanguineo* systema arteriosum, huiusque sedes pulmones, cor, et muscoli maxime feriunt Autocratiam Nat. med. quae hic agilis, ast minus firma est, iuvat morbos, torpidos, atonicos pulmonum, sed praecipue viscerum abdominis, gravat eos in majori systematis arteriosi ac nervorum irritabilitate fundatos. *T. Cholericum* Vim Nat. med. dat validam, celeritate, ac robore parem, validius ferit organa praedicta, praecipue arteriositatem hepatis, horum perturbationem solennibus tollit iudiciis, si non impetuositati horum succumbat. — *T. phlegmatico* respondet iners Autocratia Naturae med. quae morbis, hic in penetrabilibus vegetationis exaltatae, imperfectae, in systemate glandularum ac vasorum lymphaticorum, nec non in membranis internis seroso-mucosis residentibus, exiguum tantum ponit renisum, autocraticam potentiam nisi tunc exerere valens, cum processus vitalis activitas in tantum adhuc viget, ut motum febrilem, tunc potissimum Naturae periodicae, excitare possit, illaque tunc passu lento, crisis minus manifestis, aegri operatur salutem. — *T. melancholicum* characterem suum strictum forsem Autocratiae Naturae medicatrici largitur, quae hic pauciores admittit morbos, admissi pertinacius systemati venoso abdominali, atque venositati hepatis, lienisque inhaerent, exiguam illi concedunt dominium; illa tamen his quoque, nisi desorganisationibus graventur, fortiter renititur, profundasque illas inflammationes venosas dissipat lucta longa, criticis excretionibus mucoso-gelatinosis, fluxu haemorrhoidali etc. parcis, ast crebrius revertentibus.

§. 38. 4.) *Constitutio corporis*, haec prout bona vel mala est, diverse vim Naturae medicatr. conformat. Praesente *constitutione bona*, quae in recta singularum corporis partium ad finem vitae relatione consistit, Autocratia Naturae inter influxus noxios corporis incolumitatem servat, et, si eo non obstante, irruentes arcere nequeat morbos, ad illos profligandos fortia illi suppetunt adminicula. Aliter res se habet in *Constitutione mala*, quae quo nobilioris organi prae-

ponderantiam vel depressionem sistit, quo magis causis in- ac extrinsecis nocentibus acuitur, eo plures recipit morbos, eoque magis Autocratiam Nat. med. refrenat ac limitat; morbus enim profundiores figens radices, maiorem organorum seriem occupat, illa itaque polares functiones et crises salutes ciere non tam facile potest: sic constitutio nervosa, irritabilis, plethorica, apoplectica, biliosa, atrobiliosa, rheumatica, arthritica, phthisica, scrophulosa, haemorrhoidalis etc. pro diversitate suae originis, influxuum item in- ac externorum, varie quaevis Autocratiam Naturae restringit, et adversus morbos, in sua regione ortos, exiguam concedit potestatem, aliorumque crises in hanc partem vergere facit.

5) *Dispositiones haereditariae* pro diversa sua indole organismum citius vel tardius morbosum reddunt, operamque naturae medicatricem summo opere aggravant. Sic virus venereum, quod a conceptione materiam organicam inficit, per eam nullatenus subigitur; nam innatum contagium homogeneitatem quamdam cum omnibus organis ac functionibus inivit, harum itaque polari nisu excerni nequit. Aliter se res habet, cum innata systematis lymphatici ac glandularum irritabilitas morbi scrophulosi, vel systematis arteriosi maior incitabilitas phthisis semina tenero induunt organismo: abest hic contagium, fitque morbi, imprimis posterioris, certa evolutionis vitae periodo comparitio, quousque tempus conceditur Autocratiae Naturae, per influxuum externorum moderamen statum virium concentricum restituere, morbi eruptionem praepedire, et si erumpat, contra eum intendere, quamvis successu raro felici. *Dispositiones acquisitae*, morbique hinc orti eo magis Autocratiae Naturae obsunt, quo gravioribus acquiruntur de causis, sibi que nocentiora vitae adiuncta ingrediuntur, quibus fit ut activitas unius alteriusve organi fiat debilior vel fortior, sicque activitati Autocratiae Naturae alia detur modificatio.

§. 39. 6). *Varietas ciborum ac potulentorum*, modusque his fruendi, quis nescit, in quantum Autocratiam Naturae modificent? Sic qui cibus animalibus solis, cum stimulo nutrientibus, fruuntur, illam fortem, reactionibus violentis, vitam saepe periclitantibus, stipatam obtinent; e contra quibus solum vegetabile obtigit alimentum, illa segni gaudent, optime per

mixtum Autocratiae Naturae consulitur nutrimentum. Excesus in esu natura peradauctam nutritionem corporis, se ac excretionum ubertatem exaequat, penuria per resorptionem e fundo proprio, se ac excretionibus coercitis subvenit, sub hoc, vel illo statu enatis morbis, profunde iam irradicatis, difficulter medetur, in suis organis debilitata auxiliaribus. Penes aquae purae potum validissimam videmus Autocratiam Naturae, quae vinum exoptat, tantum viribus vitalibus langventibus, secus spirituosorum excessui reluctatur, ea evomendo, refrigerantibus, caloris, sudoris ac urinae augmento, nec non somno, excessivam vasorum ac systematis nervosi actionem compescendo, sed lucta hac diutius durante, Autocratia Naturae debilitatur, morbis, in hac sphaera exortis, aegre reagit: hinc difficultas sanationis potatorum, quod et in regnante modo epidemia Cholerae orient. probatur.

6) Diversum hominis *vitae genus*, laborum ac studiorum indoles, diversae habitudines, ac tandem vita psychica quantas non Autocratiae Naturae modificationes tribuunt? Qui *genus vitae laboriosum*, harmonico omnium partium corporis exercitio moderatum, ducunt, in quibus et animae genuina cultura perfectioni vitae obsecundat, morbos evitant, evolutos illa sola saepe debellant; e contra qui otio indulgent, vel incauti unum aliquod organon exercitio impari debilitant, vel qui adfectibus et passionibus energiam principalium vitae organorum, in quae istae agunt, exhauriunt, psycheosque dominium labefactant, eheu quot morbis vapulant, virtute propria vitali vix superandis! Sic cerebrum apud literatos, pulmones apud cantores, aut saltui passionate addictos etc. ad morbos praecipue disponuntur, et Autocratia Naturae huc dirigitur.

§. 40. Tandem 7) *Clima, anni tempora, et influxus topici* variam Autocratiae Naturae medicatrici efficaciam ac directionem imprimunt. Qui sub climate torrido ac calido degunt, vitae alacritate, Autocratia Naturae debili gaudent, sub climate gelido e causa opposita idem eius status obvenit, optime sub zona temperata operatur vis naturae medicatrix. Sic de anni temporibus sentiendum; notandum tamen est, dari morbos, qui sub certo climate facilius tolluntur, ut

sypphilidem, phthisim, arthritidem sub climate calido, lepram sub frigido, alios, qui certo anni tempore difficulter per Autocratiam Naturae sanantur, uti peripneumonias hieme, febres biliosas aestate, e rationibus facile eruendis. Iam Hippocrates docuit, aestivos morbos hieme solvi, velut eos, qui hieme contracti sunt, aestate. — Per influxus endemicos Autocratia Naturae unilateralem, influxui consonum, accipit modum, ex hac parte enatos facile superat, vel praeterit morbos, peregrinos gravissime ferientes, quos morbos *acclimatisationis* dicimus; cum tamen diu contra illos vis naturae medicatrix pugnasset, sensim debilitatur apud indigenas quoque, et tunc his et aliis morbis imbecillum ponit renisum.

Quidquid itaque organismum humanum integrum, vel in quadam parte debilitat, formae aut mixtionis abnormitatem inducit, aut functioni uni prae altera praeponderantiam addendo, concentum virium harmonicum suffert, Autocratiam Naturae medicatricem limitat ac modificat.

§. 41. Momentum non leve, Autocratiam Naturae in suis operationibus modificans, dant *pharmaca*, seu illa naturae externae corpora, quae arcendo vel profligando morbo consilio bono vel malo opponuntur. Mali impatiens homo medelam quaerit, — non perpendens: nullam medicinam interdum esse optimam (Hippocrates), felix, si vitam suam concredat rationali medico, qui scit naturam in suo autocratico salutem aegri restituendi molimine aestimare, infelix, si medicum accerseat, omnipotenti pharmaeorum suorum virtute minimas organismi turbas debellare studentem, infelicissimus! si vetulis aut medicastis — quod proh dolor cultior quoque haec aetas patitur! sanitatem suam committat, hi enim vel unico pharmaco, tamquam sacra aegide, omnes morborum species prosternere, aut pluribus, quae rudis experientia, coeca superstitio, vel obscura illis dictavit traditio, in] organismum humanum morbosum, absque ulla naturae illius, saepe nec partium remedii adhibiti cognitione, involant. Sequelas hinc gravissimas quis non perspicit, vel tristi non noscit experientia? Pharmaca enim nisi per reactionem,

quam in organismo excitant, componunt, vel immutant, organismo prodesse possunt; sed et Autocratia Naturae medicatrix nil aliud sistit, quam reactionem organismi vivi, adversus ingruentem mutationem abnormem omnibus suis viribus insurgentis. Posito valente, utriusque huius auxiliatoris directionem opponi, quid sequetur: cum sola haec ultima, nec ulla alia reactio integritati vitae restituendae par sit, aut haec vincet, morbum et pharmakon subiugatura, vel vincetur, morte artificiali casura. E lucta illa naturae medicatricis cum duplici hoste magna symptomatum varietas exsurget, et natura a consuetudo suo crises expediendi tramite detorquebitur. Sic e. g. si febris sthenicae, ut plurimum Autocratia Naturae vel arte levi congrua crisis haemorrhagicis, diaphoreticis et uropoëticis sanandae, Ars intempestiva mox stimulantium (vini vel cremati cum capsico in Patria nostra) vel etiamsi antiphlogistica excessiva opponit, quis effectus? Nonnunquam quidem evenit, ut fortis aegri natura ibi moderando, hic incitando per crises consuetas morbum solvat, sed secus in priori casu indirecta, in posteriori directa ratione energia sua exuta, crisis illis elaborandis impar erit, forma morbi asthenica exorta, si felix sit exitus, morbus metastatice vel lysis indicatur. Sic inflammatio phlegmonosa ab Autocratia Naturae per primam saepe intentionem, vel per puris secretionem, qua polarem exaltatae arteriositatis functionem, tollenda, si inepte tractetur, degenerat, per ichoris et gangraenae genesim ruinam organismo mirans, nisi Autocratia Naturae huic limites ponat, saepe arte rationali sublevanda.

§. 42. Optime tandem diversus Autocratiae Naturae, in opere suo medendi, procedendi modus patebit, inquirendo: quid illa in praecipuis morborum generibus operetur vel operari possit? Indubium est, omnem morbum peculiarem vitae modum, organismum — ens sui generis (Paracelsus) exhibere, pro diversitate status individualis, centenis ut ita dicam diversificantibus statuti, diversum, quos accurato systemate nosologico complecti, aut plane uniformi curare methodo vana est contentio, ubi revera unum re-

medium contra eundem morbum, in alio individuo occurrentem, non semper valet, ut hic dici possit: *duo dum faciunt idem non est idem*. Itaque et natura singulis his abnormitatibus proprio ac plane speciali modo obviam pergat, oportet, quod illa, necessitate quidem, ast divina mente stabilita, ac proinde scopo convenientissime operante, in suis praecordiis perficere noscit, ut recte Demetrius Pepagomenus (in libr. de Podagra) dixit: *Natura ratione carens, facit tamen opera sua secundum rationem*; arti vero illuc non penetrare, nisi genuina solertissima observatione et indagine quidquam in suos usus excerpere concessum est. Ex hac discimus, esse tales morbos, quos Autocratia Naturae sub circumstantiis faventibus semper sanat, alios, in quibus ars nisi impedimenta naturae removeere debet, ut hac sola sufferantur, tandem adesse quosdam, qui efficiam Autocratiae Naturae medicatricis elidunt, huius tamen continuis conaminibus modificantur. In genere quo morbus sensibiliores, irritabilioresque partes corporis occupat, eo maior excitatur reactio, et Autocratia Naturae alacrius sollicitatur. Iam cum vita organica hominis tribus dimensionibus seu functionibus cardinalibus absolvatur, nempe reproductivitate, irritabilitate, ac sensibilitate, et singula haec dimensio instar factorum vitae rursus in quolibet organo repetatur, hinc, innuente Cel. Gall, non datur morbus ita gravis, qui dum et quando Autocratia Naturae sola sanatus non fuisset; quaelibet tamen vitae manifestatio morbos Autocratia Naturae facilius vel difficilius subigendos offert.

Qui ex parte irritabilitatis in vita reproductiva occurrunt morbi, *Febres* et *Inflammationes* characteris dynamici, omnium antiquae et praesentis aetatis celeberrimorum medicorum sententia ita constituti sunt, ut faventibus circumstantiis, sola Autocratia Naturae sufferantur, nihilque aliud sint, quam conamen Naturae vivae mortem avertere nitentis (Sydenham). Sententiae huic ratio et experientia suffragantur, quae docent: *Febres* autocratically sanari, cum primus impetus, a systemate nervoso exiens, se composuisset, excessus quoque irritabilitatis diuturna actione a se



ipso remittit, oxygenium liberum partibus combustibilibus traditur, quae evigilante functione polari vasorum capillarum, se et excretoriarum, uti sudore, urina etc. eliminantur, quo certe et sanguinis fluxus, et variae in peripheria corporis inflammationes referuntur. — *Inflammationes Autocratia Naturae sanantur*: cum arteriositas exaltata per ipsam sanguinis actionem deprimitur, quo tempore sanguinis adfluxus minuitur; accumulatus, venarum, extravasatus, prius sero sanguinis dilutus, vasorum absorbentium ope abducitur, actione polari plasticitas levatur, secretioque puris oritur, quod oxygenium sibi ligat, partes obvias resolvit, aufertque; quin et causas inflammationis saepe Autocratia Naturae removet, quod fit uberiore sanguinis adfluxu acrem causae excitantis indolem temperando, diluendo, vel ex corpore illam proscribendo, vel metastases provocando ad organon minus nobile. Sic *Febres rheumaticae, catarrhalesque*, a refrigerio ortae, sudore largo suapte subsecuto, urina cum sedimento largo mucoso excretis, saepissime sanantur. *Febres gastricae et biliosae* emesis saepe cum catharsi suapte subsecutis, brevissimo tempore cessant, Autocratia Naturae eo tempore per anorexiam materiae peccantis novam ingestionem arcente; sic ipse Cicero (in Epist. 7. ad famil. L. XIV.) dicit: „*male me sentiens noctu supervenit vomitus spontaneus bilis purae, qui me momento quasi sublevavit, acsi Deus quidam malum a me abstulisset.*“ In cura *Exanthematum acutorum*, ut Scarlatinae, Morbillorum, Variolarum etc. saepe medico nil oportet facere, quam impedimenta crisis remove, caeteram curam Autocratia Naturae perficit: febrii methodo praedicta sopiendo, cutim regenerando; quin ruri cernimus infantes saepe inter influxus noxios felici decursu stadiorum his morbis liberari, dum ii, qui curae anxiae subiiciuntur, citius morte vel aliis malis secundariis plectuntur, etc. etc.

Sed et *Febribus characteris adynamici*, ominosa systematis nervosi ac sanguiferi adfectione stipatis, sanandis ipsa Autocratia Naturae saepe sufficit. prout plurima exempla, ab auctoribus fide dignis allata, testantur, e quibus discimus: febres nervosa

graves, febres putridas cum petechiis, epidemice saepe regnantes, typhum contagiosum, imo et pestim orientalem feliciter sanata fuisse absque ullis pharmacis, saepe aegro tantum auram mutante, alias potu solius aquae, lactis, limonadae, vel decoctorum emollientium, prout Cel. Hildebrand, et Klose de se ipsis testantur, sudore largissimo prorumpente, per metastases varias, feliciter quoque a sola Autocratia Naturae discussas. Et quidem sola Autocratia Nat. plures aegros sanatos fuisse e Pesti orientali, quam qui variis medicaminibus tractati sunt, plures Auctores testatum reddunt. Et modo epidemice regnans *Cholera orientalis* insignia praebet exempla autocraticae sanationis, et mea experientia confirmata, nempe aegri quidam in hoc morbo curam recusantes, e nosocomiis aufugientes, calide fomentati, vel nonnunquam inter noxios influxus aëris, et potuum frigidorum, sanitati restituti sunt, aut post primam curae rationalis adorationem, ob multitudinem aegrorum nonnisi post tres dies visi, conservati et sanati sunt, reliquam curam intermedio tempore, Autocratia Naturae, impedimentis iam remotis, finiente.

Morbos, qui vitam vegetativam, qua Autocratiae Naturae conservatricis fontem, propius feriunt, sic dictos *cachecticos* ex adductis rationibus difficiliter Autocratia Naturae sanat; non tamen dubitare noscunt experientia, ultra bis mille annos collecta, etiam his morbis *chronico* potissimum decursu donatis, potentia Autocratiam Naturae opponere arma. Jam lentus eorum decursus, constitutione aegri secus bona existente, factori nerveo tempus concedit, vires suas colligendi, et sanitatis reductionem moliendi: per excitas functiones se et excretorias peccantia removendo, per motus febriles humorum crasim emendando, oppressum factorem irritabilitatis levando, eumque in harmonicum ordinem activitatis reponendo. Sic *Hydropes* quoties Autocratia Naturae sola sanavit per largas evacuationes urinae, sudoris, quin ut Pinel refert, per certa exercitia corporis. Cel. Laënnec non dubitat, per Autocratiam Nat. *phthisim* ipsam *tuberculosam* sanatam fuisse, scilicet tuberculis paucis existentibus, et

constitutione aegri favorabili praesente, tuberculum transit in suppurationem, maturum rumpitur, pus per tracheam et bronchia evacuatur, sicque sanitas restituitur. Sic Cel. Sydenham *insultum* quemvis *arthriticum* comparat cum paroxysmo febris intermittens, dicitque, sub tali insultu Autocratiam Naturae conari abnormem statum in partibus solidis fluidisque corrigere, et e corpore eliminare.

Nec omnes *Nervosae* Autocratiae Naturae medicatr. resistunt; sic illae, quibus solius actionis vitalis abnormitas subest, facilius sufferuntur, sub favorabilibus adiunctis suapte saepe se exaequant, uti in vario genere spasmodum ac convulsionum dynamicarum exempla sufficientia quotidie cernimus. Sed et nervosae cum materia quandoque Autocratia sufferri, supra vidimus; sic cum Cel. Lentin omnis *insultus epilepticus* potest considerari, ut conamen Autocratiae Naturae medicatricis stimulum, systemati nervoso inimicum, e corpore eliminandi, ideo sub finem insultus talis observantur evacuationes diversae, penes quas integer saepe sanatur morbus. Morbos quoque psychicos saepe sola Autocratia Nat. med. sanat, uti Pinel, Esquirol et Spurgheim, aliique observarunt.

§. 43. Cum tot, tantisque morbis Autocratia Naturae sola medeatur, an non omnes morbos illi soli relinquere debemus? Certum quidem est, ut Cel. Stoll innuit, aegrum melius se habere in manibus in perturbatae naturae, quam in mali medici; sed tamen inexplicabiliter melior est sors aegri in manibus medici rationalis, quam in iis solius, in populo culto adeo insufficientis, naturae. Sed et morbi sunt, in quibus sola Autocratia Naturae impotens est ad sanitatem restituendam: sic ipsae non raro plantae et animalia pereunt, manu auxiliatrice orba. Quin conatus illius medicatrices saepe ruinam aegro causant, ut recte cum Cel. Reil dici possit: morbum non semper esse oppositum Autocratiae Naturae.—In genere morbi, qui in profundiori vegetationis degeneratione, in sic

dicta dyscrasia radicantur, praecipue, qui contagio cuidam ortum suum debent, sicut et alii chronici inveterati, nimis complicati, morbi a dispositione haereditaria e germine suo evoluti, vel ex dispositione acquisita enati, aut pertinacibus sustentati de causis v. g. organicis, morbi denique, in quibus vis vitalis ad imum prostrata iacet, a sola Autocratia Naturae nullam salutem exspectandam habent; nihilominus et in his conaminum eius auxiliatricum innegabilia adsunt indicia usque extinctionem vitae: sic contagium saepe cito eiicitur, ut narrantur exempla de contagio Scarlatinae, imo ipsius typhi contagiosi, mox post susceptionem largissima diaphoresi e corpore eliminatum, vel eius actio ad determinatam partem corporis limitatur. Sic in plurimorum morborum stadio iam conclamato v. c. in phthisis pulmonalis stadio colliquativo, in Hydrocephali interni acuti stadio paralytico-convulsivo etc. totus aegri status videtur emendari, sed symptomata haec emendationis nihil aliud sunt, quam effectus conaminis Naturae ultimi mortem avertere volentis, quod phaenomenon etiam Cholera orientalis offert. Sic in gradu altissimo verae debilitatis v. c. post nimias humorum exinanitiones sequuntur saepe motus spastici, convulsivi violenti, inordinati, dolores vehementes, cum pulsu frequentiori etc.

Sed etiam morbi acuti febriles ac inflammatorii efficaciam Autocratiae Naturae elidunt: sic an infirmus, feбри intermitt. perniciose correptus, non traderetur certae morti, si quis illum relinqueret auxiliis solius Naturae? Hoc fit, cum nobilia magna violentiaprehenduntur organa, ut cerebrum, medulla spinalis, pulmones, intestina etc. quae citius paralysi vel gangraena opprimuntur, quam salutare Naturae actus se sistere possint, vel etiam secuta hac actione polari, per internam suppurationem, Lymphae plasticae vel serosae exsudationem perimunt, ultimumque hic naturae conamen elucet in convulsionibus, in Angina membranacea in vomitu et tussi, per quae mobilitatem, resorptionem, aut eiectionem par-

tium exsudatarum molitur, saepe etiam feliciter perficit, vel pus mira saepe ratione exteriora versus derivat cum integra sanitatis restitutione. Sic perquam nota mihi est historia, quam Hufeland in suo diario refert, de puella 4. annorum rosnaviensi, quae aristam inter Iusum ad pulmones insugens, gravissimis suffocationis, ac dein peripneumoniae, in suppurationem transeuntis, larga sputorum puriformium eiectione stipatae, symptomatibus adfecta, formato in latere thoracis dextro posteriora versus abscessu, arista pure eluta, perfectae sanitati restituta fuit, anno priori qua formosa virgo annorum 15. per me visa, et examinata nec minimam organorum respirationis labem praesefert.

§. 44. Quae ergo debet esse sagacitas veri medici, interpretis ac ministri Naturae, ut detegat viam veram, quam sequatur in cura morborum? Ille scit quod Natura sola sanare possit, et quod sine illa impossibile sit tollere morbos; sed quod illa frequenter a variis causis perturbata, languens, effrenis, aut exerrans sit, saepe, in causa morbi expellenda invita in aberrationes rapiatur, adeoque saepe directore opus habeat. Non minor solertia requiritur in medico ad morbum avertendum, quam ad bonum faciendum; principalis itaque eius cura debet esse examinare, ac discernere motus Naturae conservatricis ac medicatricis, dirigere eius conatus, et actionem diversarum substantiarum in illam. Hinc tota Ars medendi in recta Naturae imitatione sita est, quae errores quidem ponit, ast per accidens, quos recta imitatio evitare, corrigereque novit, respiciendo universales Naturae conservatricis leges, generaliter usitatas eius operationes, easque accommode in casum individualement - specialem applicando, sicque intelligendum illud Hippocratis: *ducendas esse Naturas, quo vergant*, et illud Democriti effatum: *Natura sola potest vincere Naturam.*

Itaque Natura est potentia illa activa, intelligens, spontanea, quae organisat et vivere facit creaturas, sicut dirigit operationes et motus huius universi, ca-

ius nos tantum dependentiae harmonicae sumus. Homo per ipsam subsistit, suas facultates illi debet, illi suam super terram destinationem, debet discere eius directiones, sacrasque eius vias, si sanus et felix vivere velit, celeberrimo Virey op. cit. perquam sapienter innuente: „est sequi vestigia divinae prudentiae, imitari eius opera, se conformare vocationi Naturae, tam in statu sanitatis, quam in statu morbi.“

